



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exercitia Spiritualia Ad Mentem Et Normam D. Ignatii

Conscripta & Adaptata Usui Personarum Ecclesiarum Pro sacra
solitudine singulis annis ineunda, & in octo vel decem dies protrahenda

Maffei, Pietro Antonio

Augsburg ; Regensburg, 1740

VD18 80488153

Monita Personis Ecclesiasticis ante Exercitia suscipienda ab Authore data.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60272)



Monita

Personis Ecclesiasticis, antequam Spiritualia exercitia auspiciantur, data ab Auctore.

DIvvs Bernardus Clarevallensis Abbas, Clerum Gallicanum in Concilio Rhemensi congregatum adhortaturus, his verbis Sermonem exorsus est: *Grave est onus, quod mihi injungitur, ut doceam doctores & instruam Patres; cum scriptum sit: interroga Patres tuos, & annuntiabunt tibi.* Longè majori jure hoc ipsum de me sentire possum in præsentis rerum articulo; Jubeor enim ab iis, quibus juratam debeo obedientiam, instruere Ecclesiæ Magistros, dirigere animarum directores, & pascere pastores populorum. Sed ita disponente Deo nil rari hoc habet. Ita Moyses, quamvis esset sapientissimus, & ab ipsomet Deo lumine superno liberalissimè perfusus, Jethro soceri sui instructionibus, & consiliis se lubentissimè subjecit, & obsecutus est. Balaam, quamvis esset propheta, ita volente DEO magistrum directorem habuit asinum, cui insidebat, & inequitabat. Ad ostendendam luculentius, suam potentiam adhibuit DEUS exiguum

A

la-

lapillum, qui vastum illum Nabuchodonosoris Colossum everteret, & contereret; ut autem ingens ædificium Ecclesie suæ erigeret, duodecim rudes piscatores architectos esse jubet. Instrumenta quidem inepta; at si illa DEI artifex manus arripit, mox faciet aptissima ad patranda mirabilia; homines stupidi, bardi, & vix stipitibus meliores, mox evadunt doctis omnibus doctiores; & habiles ad confundendos sapientes ipsos: *quæ stulta sunt mundi, elegit DEUS, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; I. Corinth.*

I. Hac cogitatione animatus audeo in me suscipere arduum officium dirigendi in his exercitiis spiritualibus homines, à quibus ego dirigi & instrui deberem. Itaque manum operi admoveo, & ut suus huic sacro labori fructus respondeat, hæc præmitto monita:

Ingredi oportet hanc sacram eremum avido & amplo corde, cum firmo proposito ea omnia ad apicem exactè adimplendi, quæ fuerint præscripta. Cavendum, ne fulmen illud anathematis feriat, quod Jeremias Dei nomine omnibus illis minatus est, qui perfunctoriè peragunt pia opera: *maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulentè; vel potius, prout legunt septuaginta interpretes, qui facit opus Dei negligentè; tunc autem opera pia, sive Dei dicuntur peragi fraudulentè, quando parte aliquâ talis operis*

ris

ris Deus defraudatur; negligenter autem fieri
consentur, quando sine debita animi ap-
plicatione peraguntur. Hæc DEI male-
dictio illos potissimum perstringit, qui Dei
opera præcepta oscitanter, ac fraudulentè
aut negligenter peragunt; afflat tamen &
illos, qui simili oscitantia, ac fraude per-
agunt opera spontanea, & supererogato-
ria: ubi distinguere oportet duplicis sortis
maledictiones divinas. Prima est illa, quæ
privat animam Dei amicitia, ejusque gra-
tia sanctificante; & hac maledictione gra-
vissima fulminantur omnes & soli illi, qui
graviter deficiunt, & desunt in persolven-
dis piis ac sanctis operibus graviter præ-
ceptis; altera, & nonnihil mitior maledi-
ctio divina est illa, quæ privat copiosio-
ribus & frequentioribus gratiæ prævenien-
tis adminiculis, quibus anima destituta, li-
cèt non incidat in odium & inimicitiam
Dei, incurrit tamen haud leve periculum
amittendæ divinæ gratiæ, & seipsam per-
dendi. Et hæc poena infligi solet illis, qui
à bene cœptis deficiunt, in prosequendis &
absolvendis sanctis operibus, etiam non
præceptis, sed ultro susceptis, fatiscunt &
clanguescunt. Ut itaque hanc secundam
maledictionem evites, vita studiosè omnem
fraudentiam, & negligentiam, id est,
perage hæc sacra exercitia cum debita in-
tegritate, & seria mentis applicatione. In-
tegritas consistit in eo, ut nec minima par-

ricula decerpatur, aut omittatur ex illis, quæ in distributione temporis, horarum, & ordine diurno præscribuntur, operibus, & legibus quantumcunque minutis. Seria applicatio animi est anima pii operis; hæc si desit, deest operi pars illa, quæ sola Deo placet, & grata est, qui non hæret in considerando externo boni operis cortice, sed ad internum nucleum, id est ad cor operantis penetrat, & attentè considerat non tam quid, quàm quo modo, quo animo operemur, ex quo totum pretium trahit bonum opus; Deus intuetur cor. Quis scit, an ex his piis commentationibus non dependeat tota prædestinationis nostræ feries, & filum?

Quod assero, vobis ob oculos ponam explicando communem Theologorum & ab his receptam doctrinam non minùs certam, quàm horribilem: Indubitatum est, Deum ferio velle antecedenter, non solùm voluntate signi, sed etiam beneplaciti salutem omnium omnino hominum: *vult Deus omnes homines salvos fieri* 1. Timoth. c. 2. Finis hic omnibus præfixus, & idem ipse est, sed non omnibus una eadèmq; via ad hunc finem pertingendi aperta, & præfixa est. Perspicit Deus infinitâ suâ scientiâ varios & innumeros eventus, concatenatas peripetias hominum in vitæ suæ cursu, & rerum vicissitudines in decursu occursuras, quibus velut tot viis variis aliqui ducantur

ad

ad æternæ salutis portum, alii ad æternæ perditionis portam. Quòd autem hic præ altero inveniatur & ingrediatur potiùs salutis, quàm perditionis viam, non rarò dependet ex opere supererogatorio, & non ad eò magni momenti; ex lectione fortuita pii alicujus libelli; ut accidit S. Ignatio Loyolæ; ex contemplatione cadaveris; ut accidit S. Borgiæ; ex auditione missæ, prout accidit divo Antonio Abbati: ex unica, sed seriâ æternarum veritatum meditatione, ut accidit D. Xaverio; sed omnibus aliis sepositis exemplis, ultimo, quod præ aliis magis ad rem & scopum meum facit, de D. Xaverio inhæreamus. Labet itaque interrogare, quòd Xaverius devenisset, quid illo factum esset, si vocanti Deo ad sacram exercitiorum solitudinem aures clausisset, cum hæc pia exercitatio fuerit unica omnis eximie suæ sanctitatis origo. Nos nunc Xaverium sacris aris impositum veneramus ut Sanctum, ut Indiarum Apostolum, & orientis Thaumaturgum; fortassis Xaverius inter inferni titiones æternum arsisset, si hunc salutis & sanctitatis suæ fontem obturasset, & meditationes illas obiter percurrisset, ad quas nullo Dei obstringebatur præcepto; licet has Deus unicum voluerit esse medium ad consequendam tantam sanctitatem, quin & salutem animæ.

Veritas hæc infallibilis tanti ponderis est, ut meritò cuiusvis Christiano ingentem incutiat metum & horrorem, curamque injiciat perennem, nullum posthac negligendi opus bonum, licèt ad hoc nullo adstringamur mandato, ad quod nos tamen internis Dei vocantis inspirationibus invitari, & stimulis suaviter, ac fortiter impelli sentimus. Forlan Deus his piis exercitationibus, ad quas cor tuum incitari non obscure advertis, salutem tuam æternam alligavit. Narratur mirum quid in Societatis Jesu Annalibus de Sacerdote quodam Italo Senensi, qui cum publico hujus urbis scandalo obscenas non modò Comœdias conscribebat, sed ipsemet choragus, & actor eò peior, quò facetior, in publicis theatris proponebat. Accidit fortè, ut duo è Societate Jesu Religiosi illac transeuntes, ab urbis Episcopo detinerentur, & invitarentur ad excolendum Clerum suum Sacris Divi Ignatii exercitiis: acceptatur invitatio; & dum omnia fervent, etiam Sacerdos ille dyscolus, curiositate potius, quàm pietate & emendationis studio attractus, piis istis functionibus intervenit: sed primis statim diebus cordurum emolliente divinâ gratiâ, his usque ad finem cum tanto fervore adstitit, ut decreverit, publicum scandalum toti urbi, luridò & effræni suo vivendi modo datum, publicâ pœnitentiâ corrigere, & emendare: dixit; fecit;

cit. Finitis sacris exercitiis, pariter finem fecerat suis Apostolicis Coniunctionibus in suo templo ad copiosum semper auditorem è Divi Francisci Familia zelosus Ecclesiastes; vix è sacro suggestu descenderat iste, cum in eundem eluctatur novus & inexpectatus concionator, pullò potiùs sacco ac ciliciò, quàm habitu indutus, ac pendulo è collo fune poenitentiam publicè professus: Sacerdos erat ille, quem spiritualia exercitia, ut audivimus, ex Saulo in Paulum mutaverant: hic igitur non jam voce tantùm, sed uberimis lachrymis, liquidis compuncti cordis testibus, totòque oris habitu veniam à copiosissimo auditore præsente & per hunc etiam ab absentibus tam ardentè, & demissè rogabat præteritæ suæ, hætenus tam malè actæ vitæ, & præcipuè tot scandalorum datorum, ut omnes corde compuncti in teneras & ipsi ubertim diffluerent lachrymas, præsertim ubi stabilitum animi propositum non tantùm vitam hætenus actam, sed etiam vitæ statum mutandi publicè explicavit, & paulò post hoc pium suum propositum executioni dedit, sacrum Capuecinorum Ordinem ingressus, in quo non tantùm ferventer, & juxta rigorem ac tenorem suarum regularum exactè vixit, & usque ad finem perseveravit, sed jam morti proximus, omnibus lectulum suum coronantibus disertè edixit, se suam æternam salutem,

quam miserante Deo se brevè consecutum firmiter speraret, non alteri causæ adscribere posse, quàm ritè adhuc in sæculari vita peractis S. Ignatii Loyolæ spiritualibus exercitiis. Et profectò, væ ipsi, si punctum illud, *particulam boni doni*, si invitationem illam internam, cui Deus ejus salutem alligaverat, neglexisset, & incurius transfuisset. Quid si & tua salus æterna ex simili filo, ex præsentè occasione animum spiritualibus excolendi exercitiis penderet? *Quapropter magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis 2. Petr. 1.*

Itaque octonos vel denos hos dies Deo dona, dedica & consecra, nec illos ut tuos amplius, sed ut Deo datos ac sacros considera. *Hæ sunt feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis. Levit. 23.* Dies sepositis omnibus aliis negotiis sæcularibus, integrè & unicè soli DEO impendendi. Itaque procul hinc procul sint prophanæ & vanæ cogitationes, quæ non sunt de Deo, vel de salute animæ: claudantur & oppellulentur portæ omnibus curis terrenis, ut omnes curæ impendantur Deo, animæ & æternitati. Anne prodigalitati vos reos creditis, si Deo vestræque animæ pauculos donetis dies, postquam innumeros in holocaustum mundo & corpori iniquè immolastis: *dedimus corpori annos, demus animæ salutem aliquot dies: vivamus DEO parùm, qui seculo*

vixi.

viximus totam; ita nos animat, & jure merito adhortatur Petrus Chrysol. serm. 12. Hæ sunt feriæ Domino sanctæ: hi, hi dies Deo soli impendendi, & integrè in verum holocaustum immolandi sunt. Sed quò modo? non alio, quàm quo S. Mater Ecclesia solet loca vel ædificia prophana Deo consecrare, & divinis aptare usibus. Superbæ illæ templorum moles à cœca gentilitate olim vanis & fictitiis suis Diis, ac Deastris Jovi, Veneri, Dianæ & aliis similis fursuris idolis insanâ magnificentiâ exstructæ, primitus à Christianis funditus evertebantur & solo æquabantur, ut sub harum ruderibus omnis idololatriæ memoria sepeliretur; verùm successu temporis consultius visum, hæc antiquæ Architecturæ miracula servare illæsa, ut in his ritè expiatis eliminato abominando idolorum cultui Religiosus veri Numinis cultus succederet, atque ita ipsa nefanda idololatria ac superstitio veræ religioni frendente dæmone famulari cogeretur. Ad hoc efficiendum hac procedebatur viâ. Inprimis abolebatur penitus, quidquid vel à longè olebat, vel sapiebat aliquid superstitiosè: Idola ututè eleganter & artificiosè picta, in marmore sculpta, ex ære fusa, ex auro, aut argento cusa, piis & ultricibus flammis absumebantur, contundebantur, vel liquata destruebantur, ut omnis de ipsis memoria cum ipsis tolleretur; subinde sacro

oleo, & chrismate inungebantur parietes; tandem signis salutiferæ Crucis ornabantur, & armabantur. Et hæ sunt trinæ illæ Consecrationes, quas in hac sacra solitudine à vobis sanctè observari desidero, ut ex sacrilegis dæmonum delubris, in viva Dei templa mutemini.

Primum igitur esto, ut quidquid vanum & profanum est, procul à vobis arceatis: in cubiculo, in quod vos recipietis, nulli alii imagini, nulli libello locus sit, quàm pio, devotionem spiranti, virtutem docenti: mentem alia cogitatio non occupet, quàm de Deo, de salute animæ; cor alios non alat affectus, quàm ad Deum, ad salutem æternam directos: *quæ societas lucis ad tenebras, aut quæ conventio Christi ad Belial.* 2. Corinth. 6. Sicut in antiquæ superstitionis templis, in una, eadè que sede morari minimè posse judicabatur, Jovem cum Christo, Venerem cum Maria virgine; ita persuasum vobis sit, hoc sacro tempore in animo vestro minimè conjungi posse affectus erga Deum & mundum: cogitationes potius de æternitate in cor immigrent. Dixerunt primi illi Christiani: aliud sibi quarant diversoriam idola, aliò migrent; hæc templa jam non quadrant amplius pro ipsis, nec ipsa pro his templis: hoc ipsum dicite & vos; aliò tempore & loco compareant cogitationes, & sollicitudines de negotiis domesticis, curialibus, æconomicis &c. nihil

hil suffurentur de hoc sacro tempore, in quod nihil juris habent. *Vivamus DE O parum, qui seculo viximus totum: seponamus domesticas curas.* Petrus Chrysol. cit. Hæc ergo cura vestra sit, cavere nè interdix mens vestra nimium distrahatur, sed sollicitè custodiatur; claudantur portæ sensuum, ne per patulas cor evagetur, & foras erumpat, & econtra externæ rerum caducarum imagines, ac sensiles species irrumpan, quæ illimem aliàs animum molesta fuligine oppleant, & variis turbent phantasiis, præsertim eo, quo orationibus, aliisque piis exercitiis vacandum esset, tempore, subinde omnis diligentia erit adhibenda, ut animum aptemus & præparemus ad excipienda Divini Spiritûs charismata, & uniones internas, per ferventes orationes, meditationes, considerationes, attentam asceticorum librorum lectionem, conscientia examina &c. Nullus dubito, quin vos, quippe Ecclesiastici, probè ac dextrè hæc arma spiritualia tractare noveritis: hinc supersedeo ulteriore instructione, & explicatione. Pro meditationibus itaque & considerationibus vobis propono solidas illas veritates, & fidei nostræ inconcussa dogmata, quæ Libellus exercitiorum S. Ignatii exhibet, nam ista omne robur continent ad vos perpellendos, ut omnia vitia angue pejus fugiatis, & virtutes omnes arctè complectamini: deducuntur autem hæ

veritates æternæ potissimum ad quatuor
 hominis novissima, ad vitæ à Divino Re-
 demptore nostro in terris actæ normam,
 nobisque relicta exempla. Satis erit pro
 oratione vocali, si pensum vestrum diur-
 num horarum Canoniarum ferventer, &
 attentè persolveritis stato & præfixo tem-
 pore, si huic adjunxeritis preces Lytanev-
 ticas de Sanctis, ut suò patrociniò à Deo
 impetrent supernum lumen vestro intelle-
 ctui, ardorem voluntati, ad cognoscen-
 dum, & faciendum, quidquid feliciter
 conficiendo grandi ac momentoso æternæ
 salutis negotio utile, vel necessarium est:
 præterea per totius diei decursum frequen-
 ter variis ac fervidis cœlum impetes preci-
 bus jaculatoriis; nunc quidem ad Deum
 Patrem clamabis: *vias tuas Domine demonstra
 mihi*; aliàs verbum incarnatum rogabis:
Illumina nunc pectora, tuoque amore conerema:
 nunc ad sanctum suspirabis Spiritum: *ac-
 cende lumen sensibus, infunde amorem cordibus*;
 aliàs ad Matrem virginem te vertens dices:
Solve vincla reis, profer lamen cæcis: nunc ad
 Custodem angelum has, vel similes animi
 scintillas evibra: *me tibi commissam pietate
 supernâ hac die illumina, custodi, rege, governa.*
 Ubi te manè à lectulo proripueris, tuis
 consuetis precibus matutinis superadde ad
 divini Spiritus opem implorandam hymnum:
Veni Creator Spiritus &c. quin, si tantum su-
 perfit temporis, adjunge parvum de S. Spiri-

tu officium : nam hac ratione Cœlum piâ violentiâ adiges, ut renovato Pentecostes Festo integrum supernarum flammaram diluvium in sinum tuum effundat.

Considerandi abundantem materiam præbent variz obligationes, quæ te stringunt non uno ex capite, ut creaturam, ut hominem, ut Christianum, ut mortalem, ut baptizatum, ut sacro Chrysmate inunctum & confirmatum, ut pœnitentem, ut Ecclesiasticum, ut sacris Ordinibus initiatum, ut Sacerdotem, ut ad aras facientem, ut parochum, vel animarum curâ innodatum: ut beneficium aliquod Ecclesiasticum obtinentem, ut Confessarium, ut obsequio alicujus Ecclesiæ addictum: suggeretur, ad quid hîc, ad quid ibi potissimum sit attendendum.

Lectionem spiritualem subministrabunt Thomas Kempensis de imitatione Christi; P. Alphonsus Rodriquez S. J. in libro cui titulus: Exercitium perfectionis; Antonius Molina in libro, cui nomen: Instructio Sacerdotum: P. Antonius Foresti: Via ad Sanctuarium, vel alii similes libri, qui intellectum instruant, voluntatem moveant, & non curiositatem tantum pascant; sed libris omnibus præponderare debent sacre Litteræ, Evangelia, Epistolæ Divi Pauli: Ecclesiasticorum, & Sacerdotum Thesaurum ac Patrimonium esse oportet sacram Scripturam: in hac optima & saluberrima.

berrima invenietis animæ pascua. Scriptura sacra, ut Apostolus ad quemdam Ecclesiasticum scribit, est utilis ad intelligendam veritatem, ad conterendum cor, ad emendandos mores, & proficiendum in omni genere virtutum: Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudendum, in Justitia, ut perfectus sit homo, 2. Timoth. 3. Oportet tamen hanc lento transire pede, animò proficiendi in virtute, non obiter percurrere animo proficiendi in litteris & eruditione. Examen conscientiaë bis singulis diebus instituetur: manè ante prandium semel, altera vice vespèri antequam cubitum concedas: in his specialiter inquires in obstacula hæctenus Divinae gratiaë à te posita, ut his removendis seriò manum admoveas: imò præter duo ista examina generalia brevi & particulari discussioni vacare juvabit quamlibet meditationem post ejus finem, ut defectus in ea commissos detegas, ac imposterum emendes, lumina cœlitus immissa, & animi proposita annotes. Proderit subinde per anni decursum hæc relegere, & perpendere, & recoquere ad languescentem sensim fervorem resuscitandum, & priora animi sensa renovanda.

Tertium, quod observetur, erit, signum aliquod mortificationis Christianaë corpori & animæ interiùs & exteriùs imprimere;

hoc

hoc enim denotant Cruces, quæ in consecratione cœcæ gentilitatis templorum, & veri Numinis cultui, adaptatorum, & in erectione ac dedicatione novorum parietibus appingi, vel affigi solent. Pari passu semper junctæ ambulant oratio, & mortificatio: *bona est oratio cum jejuniis*. Tob. 10. Quærit propheta Itaias, ut inveniat illum, cui se Deus liberaliùs communicet, quem doceat scientiam Sanctorum in oratione: *Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum?* Isa. c. 18. mox sibi met respondet: *ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus*: eos nempe, inquit, tam felices esse, qui lac deliciarum mundanarum non sugerent, & nec guttulam è Ciræo poculo magnæ meretricis, ne quidem extremis labiis delibarent. Itaque necessum erit, ut tempore horum spiritualium exercitiorum mortificationes voluntarias adhibeas; non tamen una eadèmq; quadrabit pro omnibus, cum non omnes æquali, & eodem corporis robore præditi sint, sed consilio & iudicio directoris, & conscientie arbitri standum erit, nec tuo arbitrio procede, aut te tibi met ipse Magistrum constituas, vel enim amore proprio deceptus nimium cuticulæ blandieris & indulgebis, vel indiscreto zelo abreptus ineptè ultra vires in gracile corpus desævies: est tamen certum mortificationis genus, quod omnibus & singulis, qui ad spiritualia exercitia accedunt,

dunt,

dunt, indiscriminatim præscribo, & citra
 omne lædendæ sanitatis periculum adhibe-
 ri potest, interim tamen plurimum con-
 fert ad obtinendos illos divinæ lucis radi-
 os, quos desideratis, nempe fugam à sæ-
 culi tumultibus, solitudinem, & silentium.
 Non equidem negaverim Deum in omni
 loco inter medios forensium negotiorum
 strepitus ad cor loqui, & vocem ejus à
 nobis audiri, simul ac distinctè intelligi
 posse; sed nego, & pernego, id Deum
 communiter solere, cùm nobis clarè &
 palam per Prophetam Oseam c. 2. edicat,
ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus,
 hoc sibi in more positum esse asserens, ut
 non loquatur, nisi in solitudine, solus cum
 sola, solitaria, & sibi soli vacante anima.
 Voces Dei tandem nihil aliud sunt, quàm
 divinæ inspirationes, & illuminationes:
Vocavi, & renuistis. Prov. 1. Quis autem igno-
 rat, voces præsertim tenues difficulter per-
 cipi, & intelligi inter sonoros strepitus ac
 rumores. Huc collimat, quod Matth. c. 6.
 dicitur: *Clauso ostio ora patrem tuum in abscon-
 dita:* ut vocem Dei audias, & probè in-
 telligas, necesse est claudere portas sen-
 suum exteriorum, & obducto pessulo in
 intima cordis penetralia te recipere, nul-
 lum omnino aditum, ne rimulam quidem
 mundi tumultibus relinquendo, vel aperi-
 endo. Concionatores ad suos auditores è
 superiore loco dicturi desiderant ab his si-
 lentium,

lentium, Deus per internas adhortationes, id est, inspirationes, homines allocuturus, & eorum corda flexurus longè altius exigit silentium. Cavete itaque, ne hanc exigam mortificationem, sive cautelam negligatis, quæ vobis referabit aditum ad copiosas illustrationes divinitus obtinendas. In partem etiam alicujus mortificationis venire poterit accurata observatio ordinis diurni semel stabiliti, à quo nec latum unguem discedendum est, sed perdurandum usque ad exercitiorum finem: antequam tamen talis horarum distributio, ac ordo stabiliatur, agendum erit cum directore sive instructore, ut communi consilio omnia agantur.

Meditatio

Vesperis exercitiis postera die inchoandis præmittenda.

PRiusquam spiritualia exercitia auspice-
ris, tres tibi veritates serio perpendendas propono, quibus impellaris ad hæc exercitia magno fervore inchoanda, obfirmandumque animum, semotis omnibus aliis curis, ac negotiis,
B totum